

signare queant; Sententia contra eosdem interea lata, ipso facto, absque omni onere, pro infecta habeatur, ipsique Causam continuare, absque ulteriori certificatione valeant:

§. 7. Si autem ratio illiuscemodi absentiae, in Judicio legitimata non fuerit; et Causa plurium Terminorum extiterit; Causam quidem aequo continuare eo etiam in casu poterunt; verum expensas morae, Adversario refundere obligabuntur:

§. 8. Si tamen Causa, natura sua unius Termini extiterit; non assignata legitima ratione non comparitionis, non tantum sumptus praedictae morae refundentur; sed etiam Literae Sententionales et Executionales, cum insertione Clauses; ABSCISSIONIS CUNCTIS JURIDICIS REMEDIIS: extradabuntur; ac per consequens; Pars illiuscemodi convicta, Causam nonnisi beneficio Novi Judicij, extra Dominium resuscitare poterit.

#### *De Revocatione Procuratoris.*

#### Articulus 39.

Pro clariori Titulorum 79., 80. et 81. Partis Secundae Tripartitalis, intellectu observabitur:

§. 1. Ut in Causis Curiae Regiae, nec non respectu Regnum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Tabulae Banalis, iisque longae Litis; in ultimo quidem Termino earundem, nonnisi ante definitivam Sententiam; in anterioribus tamen Terminis, etiam post Sententiam, esto meritoriam, Procuratores revocari possint.

§. 2. In Causis autem brevis Litis, sive in praedictae Curiae Regiae, ac respective Tabulae Banalis; sive alio quoque Foro; semper ante definitivam Sententiam, praedicta Procuratoris Revocatio observanda veniet.

§. 3. De ultimo enim omnino Causae Termino, praedictus Titulus 77. Partis Secundae Tripartitalis, loqui intelligendus veniret;

§. 4. Et alioquin in Causis plurium Terminorum, priusquam ad ultimum Terminum deveniant; Sententiae beneficio Juridicorum remediorum infringibles essent; ac per consequens; Tituli etiam 80. et 81. praecitatae Partis Secundae Tripartitalis, in quantum in Causis brevibus et cum insinuatione motis, Revocationem Procuratoris, post Sententiam quoque definitivam admittere viderentur; mere in eum casum et usum sumendi erunt; quo quis in Causa brevis Litis, post Sententiam quidem definitivam, Procuratorem revocaret, Executionem tamen ejusdem non sisteret; verum Causam extra Dominium, beneficio Novi Judicij resuscitare vellet.

§. 5. Caeterum, si quis Procuratoria Revocatione utatur; revocatas priores Procuratoris Allegationes, deinde reiterare nequeat; sed eas, aliis statim et in continent, supplere obligetur.

§. 6. Excepto Casu; quo Procurator, neglectis incaute Depulsoriis mediis, semet in ipsum meritum Causae praecepsanter immitteret, ac ex ea ratione deinde revocaretur: Hoc enim in casu, si quas interea rationes et Probas, meritum Causae respicientes, induxisset; iisdem Principalis suus (si necesse haberit) etiam post Revocationem uti valebit.